

32,
FAVENTE JEHOVAH!

DISPUTATIO ACADEMICA,
VERUM EXHIBENS MODUM

Quo

MORES POPU-
LORUM,

Ex propriis suis Causis prudenter
eruendi sunt,

Quam,

Ex Suffragio Ampliss: FAC. PHILOSOPH.

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆCLARISSIMI

DN. M. PETRI HAHN,

Scientiæ Naturalis Professoris Ord.

Liberalis Exercitii loco ventilandam

modestè offert

PETRUS HENR. SCHEFER,


ABOENSIS.

In Auditorio Maximo ad diem 19. Decembris,

Anni M. DC. LXXXVII.

A B O Æ

Impr. apud. JOH. WALLIUM, A. T.





PRÆFATIO IPSA

alloquitur B. Lectorem.

Ro Auctore meo, B. L. verba factu-
ra, eo ipso quidem quam maxime
doleo ruboreq; suffundor tota, quod
origine tam clara & decore gravitatisq; laude
multo præclarissima, cultu jam imparato appa-
ratuq; levi in lucem inq; conspectum adeo ve-
nerande eruditq; Lectorum corona pro-
deam; at salva fide contestor nulla illius culpa
hoc evenire: idcirco etiam ei veniam & do &
meretur. Nunc autem ut pariter Tu, B. L. &
scripto & Scriptori condones, præter innatum
in pectore candorem plurima alia te commo-
vebunt. Ingenium sane Halcyonum imita-
tur naturam, quæ nisi tranquillo mari suos ex-
cludere pullos nequeunt: illud etiam tot mo-
tibus conquassatum, nunc importunitate re-
rum, nunc festinatione, quam felicem que-
so speciminis partum ederet? Propterea alie-

num tibi non sit, si dolans vacillansq; penicillum imaginem hujus thematis adeo nobilem, justo non adornaverit apparatu, rerum precipuè statu ita jubente, ut, ad rigorem Juris Acad. Exercitio brevissimo, debito suo magis quam ingenio satis faceret. De cætero, cum Seneca, communem illam, quam omnes Literati patiuntur sortem, ferre nullus recusat, me variam judiciorum aleam subeunte; cum etiam fatalis quedam cavillandi necessitas vel absolutissimo eruditionis exemplari maculam semper adferre soleat. Splendoris tamen, quem in me desideras, defectum varia ad oppositionem conducente materia Auctor supplere comatus est, sine utpote contentus illo, si actum ipsum pugne pub. copiosa confligendi materia in mei honorem decusq; illustraret: haud ignarus quoq; has quemadmodum alias characterum extemporanearum machinas, post ipsum conflictum, in arcarum oblivionisq; simul sepulchro æternum suum Bene Vale placide habituras. Vale

THESIS I.

Argumenti praliminaria proponit.

Viam nobis expeditioris tractationis paraturi, hæc ipsa præmittimus, quæ communis Philosophandi mori com-
pè svadet. Et cum de modo ipso investigandi Mores Nationum agitur, quis de materiæ tam nobilis *existentia* dubitabit; vel in demonstratione ejus multum sudabit? In secretissima descende naturæ, & deprehendes ipse, pervolve temporum annales tibi sanè originem, naturam varietatemq; morum in variis Populis indicabunt. Annon multi hodiè ingeniosi maximè salutantur, agiles, moribusq; comptissimi; nonnullos contra stupidos, cerebro fungoso, aggressesq; Scriptores notant; alios sanguine & animo abundare; & hanc Gentem superbia; illam astutia vafritieq; istam autem candore, justa vindicandi ira & severitate longe antecellere. Gravius vero saxum volutandi mihi datur, materiæ præsentis tanquam peregrino, cum *sedem & municipium in propria alicujus Discipline ditione* quæram. Cl: Contingit hanc in rem judicium penitemus, quod in Præf ad Claramontii opus de conjectandis moribus sincere aperit: *Quapropter ega, inquit, artem illam morum cognoscendorum, non ansim Ethicæ Philosophiæ*

su partem tribuere, sed singularem potius ar-
tem esse dixerim, qua & Ethicus & Politicus
& Orator & in communi vita unusquisq; in
rem suam possit ac debeat uti. & paulo infra
Quantumvis autem Claramontii labor ille,
non sit Ethicum quid, ceu ipse voluit esse;
est tamen vere incomparabile opus & plane
novi argumenti. haecenus Contingius. Cum
veneratione verba tua, Vir magne, excipio
inq; effatis tuis nihil nisi ex tripode prolatum
annoto; sed rationibus non auctoritate quo-
niam pugnandum, da veniam ut Scolasticum
paululum nunc agens, non tam a tua abeam
sententia, quam illam ad normam philosophi.
pro meo instituto applicem. Commodius ergo
magisque proprium habitaculum huic
materiae, quam Philos. Practicam, ad quam
directe spectat, adinvenire nequimus; eam
Philosophiae Inspectricis titulo privilegiisque
nullo modo coronare audentes: cum ratio sit
evidens, hunc nostrum Mores tam naturales
quam Morales explorandi modum, non in nu-
da eorum contemplatione notitiaque acqui-
escere, quin virtutem insuper suam, in homi-
ne & moribus & prudentia civili bene in-
structio, dextre declarare perget: ut in conver-
sationibus in contractibus aliisque negotiis
sepi habentes: moribus cujusque bene perspe-

dis, cuncta tutius peragamus. Quod ipsum
 aliis licet verbis sensu tamen eodem Cl. Con-
 ringius innuit in loco superius citato. *Estque*
sané, ait, propositum illi Philosophia, Ethicæ
intellige, mores hominum juxta regulam rectæ
rationis temperare. Id quod in rem ipsam deduc-
ei non potest, nisi & latentium Morum noti-
tiam, is, qui hoc curare velit, sibi compara-
verit, ut igitur mores, quomodo dignosci debe-
ant, non sit ignorandum. Et aliquanto post,
occultos mores nevisse, per commodum esse, docet,
 rationem addens, ab illis moribus omnes ferè
 actus proficisci: Hanc præterea tam Singula-
 rem esse artem affirmat, quâ & Ethicus & Polit.
 & Orator & in communi vita unusquisque
 in rem suam possit ac debeat uti: quod si
 hæc cum verbis per syllogismum proces-
 sus fiat, infallibilem inde eliciemus cõclusionem
 nostram confirmantem assertionem, argumen-
 tum nempe hoc, non aliis quam Philosophiæ
 Practicæ privilegiis juribusque munitum iri.

THESIS II.

Loco tractationis Nominal. 1. Scopum materiae
2. Morum Nat. & Moral. discrepantiam 3. Gemin-
um modum investigandi Mores Popul. exhibet.

Aditus angustias feliciter perrepentes, ma-
 teriæ propositæ theatrum jam rectâ
 intramus, ubi ipsam thematis effigiem levi-
 ter adumbratam in conspectum omnium de-
 mus. Omnium primo prolixum illum ina-

nemque verborum confictum evitantes, acceptionibus vocum cæteris remotis, uno verbo rectū scopi nostri sensū explanamus animāq; propositi, quæ in hoc uno consistit: ut modum illū certum atque planum exhibeamus, secundum quem, quisvis prudens, in Nationum Mores ex suis quorumque fontibus causisque propriis inquirere, adeoque justa de eis ferre judicæ possit, accuratam interea illam copiosamque Morum in specie considerationem, aliorum & proposito & facultati quam libentissimè reservantes: quis illud a me expectare jure possit? nec enim hæc pagellæ angustia tam vastum capiat opus. Ut deinde mens nostra, per totum hoc Exercitium, vera elataq; luceat, notemus oportet insignem illā, quæ intercedit inter Mores Naturales & Morales (utrique enim ventilantur) discrepantiam, quam ipsæ causæ, unde oriuntur, tam externæ quam internæ conciliant. Mores autem Naturales, ut brevis naturæ eorum mentio fiat, non Affectum ipsum, sed propensionem tantum, ad eundem dicunt, quam causæ illius utpote Temperamentum, Regio, Situs &c. ipsi appetitui suaviter instillant; Mores vero Morales dispositionem jam ad Affectum cum consuetudine conjunctam important, unoque verbo habitum Virtutis vel Vitii innunt.

innatae, qui à causis suis Educatione, varia
 conditione Fortunæ, studioq; vitæ &c. efficacis-
 sime producitur. Ipsæ quoque Causæ Morum
 notabili inter se discrimine discernuntur; adeo
 ut naturales pro matre ipsam venerentur *Naturam*;
 Adventitiæ contra in *Industria* partim
humana, partim *Fortuna* utero concipiantur.
 Hæc singularis Morum varietas; hæcque e-
 videns causarum discrepantia, duplex quoque
 ostium indagandorum Morum nobis aperi-
 unt. *Mores nempe Naturales e solidis Cau-*
sarum naturalium visceribus se erui cupiunt;
Morales vero ampliore[m] exspatiandi viam pa-
rant, nosque ad copiosissimas Causarum Advent.
thecas, prioribus contradistinctas, cum illis tamen
conjungendas cum favore ablegant, adeoq; si-
mul Historias Gentium, experientia certitudinē,
artisq; solertiam connectenda esse severissime
suadent.

THESIS III.

Definitionem Morū Indagini generalē evolvit.

Ad amœniores nunc amplioresque re-
 rum, quæ nos excipiunt, traditionem, pe-
 dem promoveamus: hic Definitionem prius
 benigne excipe quam talem tibi exhibeo, ut
 Modum investigandi *Mores* in genere deno-
 minem: *Prudentia habitum, circa Mores Po-*
pulorum versantem, ut cognitis eorum Causis,
quisque prudens verum de Moribus judicium in
quacunque Gente ferre queat. Forum hoc in

suas resolvens partes, conceptum commu-
 nem Prudentiam deprehendet; conceptum
 deinde specificum seu Differentiæ a Causis Mo-
 rum peti, partim à Efficiente, causis nempe
 Morum tam Nat- quam Adventitiis; partim
 a materiali seu Objectivo, Moribus tum Nat-
 tum Moralibus; partim à Formali quæ Morum
 cognitionem exhibet: partim a finali, sine in-
 tellige interno, qui de Moribus Nationum co-
 gnitis rectè judicare potest. Finis autem ex-
 ternus est prudens hujus judicii applicatio
 in quovis vitæ statu diligenter instituenda.

THESES IV.

Causas Morum Naturalium recenset-

Definitionem excipit Divisio, quam com-
 modiore ex occasione in Thes. 2. dedi-
 mus, Modum ibi mores indagandi in du-
 as secantes partes. Cum priori hic pergimus:
 Causarum prius Naturalium, ut ordo postu-
 lat, numerum ineundo, plenam earum confi-
 derationem ad competent suum remittentes fo-
 rum, qui processus pariter in Causis Advent-
 infra observabitur: tales autem octo Cl. Cla-
 ramontius notat; Temperamentum scilicet,
 Partium Conformitatem, Clima, Solum, Aë-
 rem & Ventos, Situm, Aspectum & ultimo
 Etates: a quibus duæ Priores, Causarum inter-
 narum nomine veniunt, inque Mores imme-
 diate influunt; reliquæ, externæ audiunt, &

temperamentum.

tempe-

temperamentum alterando momentum ad Mores habent. Has omnes singulasque æq; ac Advent. Cl. Claramontius in opere peculiari de conjectandis moribus lib. 2. & 3. ex instituto, sufficenti prolixitate curiose pertractat; quapropter vel ob hoc ipsum, vel ut Coætaneos & ejusdem studii Sodales, ad tanti Viri incomparabile ablegando opus, occasionem illis incitamentumque pariter dem, argumento tam nobili & plane singulari benignum in cerebello suo theoretico aditum præbendi, quæ doctrinæ nobilitas, ut tantam usus messem, ac ipsa scientiarum Regina, in omni vitæ statu data sit, firmiter speramus.]

THESES V.

Priorem Modum investigandi Mores à Causis Naturalibus indigitat.

In ipsa jam Morum Naturalium indagine, quæ succedit, constitui illam feliciter absolvimus, si omnes primo eorum Causas collectim in judicium adhibitas, singulas deinde non ex accessoria sed nativâ sua virtute cum industriâ æstimemus. Hoc ex fundamento cum experientissimis Phyl. Europeis audaciâ ob caloris interni excessum adscribimus; Africanis timiditatem ob ejus defectum; Asiaticis utriusq; moderationē ob caloris temperiem. Cû hoc Morû scrutinio etiam ad plagâ aliquâ mundi peculiarem e.g. a regionem illam septentrionalē, Marie Balthicæ

Balthici sinum interjacentem, ultro descendere placet, artem propositam, propensione hujus Nationis naturali ex puris suis fontibus deducta, illustraturi. Hæc Regio a grad. circiter latitudinis ad grad. in Septentrionem ex-
porrigitur, Provinciarum septentrionalium extremæ proxima: ob Clima suum frigidum, ut cuilibet paret, bellicosa est; Solum macrum ut plurimum habet, purissimus itaque inde spiritus, secundum Optimorum sententiam, genitus, acumen etiam ingenii ei Genti alit; Aer perpetuis montium jugis sylvarumque densitate fractus puritatem spiritus quamquam oppugnet, vim tamen ei ad mortem inferre nequit: cum & rigor frigoris, calorque æstivus aerem purificantes illum naturæ defectum miro compensent lucro: Et quoniam duriorum habitum corporis dictam ob causam habeat, fierioremque inspiret spiritum, verisimile est, cordis carnem illi Populo compressiorem ac duriorum aliis, unde in periculis subeundis laboreque peragendo major inerit ipsi ac pertinacior animi tonus quam cæteris, ut audacem eum ex tenore animi, non ex impetu, quemadmodum hoc de multis constat, vere dixeris, cui tenori severitas & constantia animi radicatus semper adhæserunt, ab Orbe minus invidio adhuc magni factæ. Hæc omnia de Causis naturalibus dicta, *per se*

Et seorsim intelligenda sunt: nempe Tempera-
mentum, Clima, Solum, Situs, Aër, Ventī ac A-
spectus quæ talia, prænominatos Mores, hoc
est inclinationem ad Affectus inducunt. Ve-
rum contrariæ Causæ, veluti perversa Disciplina,
mollis Institutio, incitamenta nulla, nulla
neq; Exempl. pubi., Solitudo, Otium, despe-
ctio & aliæ plures, barbariem introducere valent
efficacissime: ut hæc etiam denominata Natio
vel ob hoc ipsum magna sui parte, cujus infir-
cias ire non possumus, aliquam Morum
vitæq; ruditatem redolet; maxima tamen
præcipuaq; ejus pars, splendore suo cultuq;
exacto, non exiguam invidiæ materiam in-
vido dedit Orbi. Et cur hæc Gentis felicitas,
in vobis, qui aliorum dedecore famam inaura-
tis vestram, dolorem bilemq; excitet? Mundi
plaga nulla cum exstet, nulla loci amplitu-
do, nullus Climatis tractus, in cujus visceri-
bus benigna illa mater Natura, singularem
aliquem infinitæ suæ virtutis thesaurum, non
reconderit: hunc tamē nisi debita cujusq; Populi
Cura rectaq; Institutio eruerint, formaverint,
expoliverint, quid mirum! si & is, parem cum
occultis metallorum jacturæ aleam, cum dede-
core Populorum subeat.

THESIS VI.

Causas Morum Moralium proprias declarat.

Ex angustiis Morum Nat., in amplissimum Moralium palatium hæc sequens confiderationis nos ducit linea, ubi Causæ Adventitiæ, cum Naturalibus conjunctæ, certiore in Morum indagine modum svavioremque nobis exhibent: illas cum Cl. Claram. numeramus, septem, qualibet propria sua armata virtute. quædam illarum sunt ex conditionibus fortunæ: Nobilitate sc. Divitiis, Potentia, bona Fortuna & contrariis: quædam ex Instituto vel Studio vitæ: hoc posterius complectitur Artes liberales: quarum aliæ sunt sedentariæ, cum quiete tractandæ, omne intellige eruditionis genus; aliæ contra plurimo motu suscipiendæ, veluti Venatio præcipue ferarum, ludicra armorum Exercitatio, & Saltatio non promiscue omnis, sed illa quæ bellicosæ nomine venit. Studia, corporis robur ac vires remittunt: animum namque illa, ratione quietis per se ac seorsim considerata, emolliunt; ratione vero cognitionis, quam suppeditant, contrarium operantur; Motus rursus, corpus robustum & animum ferocem reddit. Ad Institutum accedit Educatio ut septima causa, simul ac efficacissima: quæ vel privata, in ipsiusmet personæ cultu & assuetudine consistens; vel publica, nihil aliud quam ipsum Civitatis locique vitæ genus, im-

por-

portans, seu Exemplum publicum, magnam vim in Moribus habens: publico cum vivatur ut plurimum exemplo. Hisce Formam regiminis in Rep. Rationemq; Status, ut octavam causã addo. Hoc modo ex forma Reip. morem avaritiæ in Oligarch. quam maxime dependere diu observatum est. Fines deinde legum in Rep. summi seu Ratio Status miro variant modo: hæc Respubl. proponit sibi scopum regiminis, privatam utilitatem; illa, bellicosos habere cives; isti rursus, salus Populi suprema lex est: secundum hanc supremam legem propriæ potestati cuiq; Civi vivendi leges, ad metam illam collimantes, formantur: hinc morum sane notabilis oritur varietas. Hæ vero Caus. Adventitiarum singulæ, momenta ad Mores morales, per suam suum influxum hoc modo habent. Quia appetitus a facultate cognoscente movetur, idcirco Institutio, Nobilitas, Potentia, Divitiæ, contrariæq; Fortunæ ad Mores spectant, in quantum in cognitionem & opinionem primo, inde in appetitum influunt. Studia iterum, tum ob cognitionem tum etiam aliqualem corporis temperamenti mutationem à quiete motive ortam momentum ad Mores obtinent. Educatio & varietas Regiminis, præter cognitionem quam promovent, etiam vim agenti voluntario inferunt, cum

Morbus

ribus diversis, pro Institutionis Regiminisq; natura, nunc recta, nunc perversa, vel invitum, vel contra, imbuentes. Ulterius in hoc tam necessario thematis nostri puncto progredi, proposita vetat brevitatis, huius ergo rei cupidus interea ad Claramontium ipsum, ut prius, ablegatur.

THESIS VII.

Longe satius esse docet, Mores Nationum ex observatione eruere; qui posterior & certior modus est.

Causarum hoc modo Moralium levi prælibata consideratione, fructum earum in Moribus præceteram degustare, cupiditate ænimus singulari flagrat. Iudicium nunc, si in Mores intellige morales Nationum, rectum exactumque feliciter ferre volueris, omnes recensitas combinabis causas, Morales æque ac Naturales, quæ inter se curiose collata, Mores ejusque Gentis Populique proprios prudenti tuo ingenio aperient: ut cum Cl. Barclajo (Prout Dn. Becchmannus Mores Nationum ex Barclajo contractos in Hist. Orb. Terra. Geograph. cap. 9. Sect. 4. de Moribus Gent. exponit) in Gallis notare possis amorem & patientiam Dominantis; aptitudinem corporis, eloquentiam summo ore natam. In Anglis ut plurimum gravem animum & in se veduti ad consilium seductum, discrimina

*omnia ipsamq; mortem impetu plusquam ju-
 dicio spernentem. In Germanis apertos mo-
 res & summam laboris patientiam & in re
 literaria, si non aliud, cerse scribendi cacoe-
 them, dum sciendi minus avidi quam do-
 cendi, plura, quam novimus, scribimus,
 (verba sunt Domin. Beechmanni pag. 397.)
 & famam ex voluminum numero ac magni-
 tudine aestimamus. Ut Belgas voces in rem
 intentos, frugales. Italos, qui eruditè & cum
 artificio virtutes aut vitia sequuntur. Ut in
 Hispanis observes gravitatem, punctuali-
 tatem &c. Ut Svecos in omnem politu-
 ram propensos aestimes, c. osilia sua proin-
 de celantes, merita ex virtute pendentis,
 laborum denique amantes & in perferendis
 molestiis infractos. Hic communis erat
 modus, mores eruendi ex sola omnium Cau-
 sarum collatione; sed illa ratio ut ulterius il-
 lustretur, secundo loco caute videndum: an
 omnes Causæ in eundem conspirent mo-
 rem? vel an quædam tantum ad hunc, aliæ
 ad alium. Prioris modi exemplum est: v. g.
 Temperamentum sit biliosum, Ætas Juveni-
 lis, Sexus Fœmineus, Regio sicca, Educatio
 inter Cives dissidiosos, Institutio in familia
 & domo, livore rixisque quotidianis perso-
 nante, Sodales contentiosæ, extremeque ini-
 micæ, Divitiæ, item, Fortuna varians & in-
 constans*

constans, vita labore remissa, Studia, indi-
 gnationem invidiamque excitantia, incommu-
 niciputa Proborum, & perversi mulierum
 ingenti delineatio vivo; omnes hæ causæ, quæ
 aliam morum formam producent, quam ab-
 solutissimam omnis pravitatis exardescentiæq;
 exemplar; quam truculentissimi Dæmonis si-
 mulachrum: cuius formam Xantippen So-
 cratis conjugem, viri tam Probi jugum gra-
 vissimum, gessisse Historiæ loquuntur. Poste-
 rior modus pater, cum Temperamentum, Regio,
 Ætas, in audaciam, fortitudinemq; inclinanti;
 Educatio vero privata, Institutio pub. Ex-
 empla pub. Leges Reipub. supremæ & Stu-
 dia in timiditatem molliemq; animi: præden-
 tissime quapropter Theodoricus Rex penes
 Cassiodorum. lib. 3. Epist. 1 *Heroica corda,
 longa pace mollescunt; Terribilis est homini-
 bus consilius, si non sit assiduus.*

THESIS VIII.

*Artem in Mores inquirendi, Examine Morum
 Sociæ illustrat.*

Quam ad te, Regnorum celeberrimam
 SVECIAM, Europæ Decus, Gentium Stir-
 pem, Coronam Septentrionis, Naturæ Thro-
 num, nunc montem & calamum vero di-
 goque; quomodo inquam te, natali meo solo
 sanguine conjunctissimam præteribo, in cu-
 jus gremium, materiam omnium morum u-
 bertissimam tempora nostra recondiderunt, ut

absolutissimum omnium Virtutum Exe g plar
salutari merearis. monarchica enim illa Co-
rona, quæ caput tuum, O Svæcia! ornati &
tempora tuâ, nonne Te simul, SALUTE cingit:
suprema illa Rerump. Lex, Cives tuos non
nisi CONCORDIA, Gordio veluti constringit
nodo. Principem, Illustrissimi Politicorum
dicunt, Gentem totam Potestate & Jurisdicti-
one representare, vitamq; ejus hoc modo to-
tius Gentis VITÆ instar esse: ita Monarcha
tuus Serenissimus & Potentiss. CAROLUS,
(cujus Nomen, Thronum & Fortunam Fara
immortalitate coronent) absoluto suo Pie-
tatis, æquitatis, Clementiæ, Castitatis,
Temperantiæ, Fortitudinis, omnium-
que Virtutum Exemplo, tanquam Sol in
te lucet, radiis undique Divinitatis suæ
illustribus, Incolarum pungens pectora,
Nonne rigidiæ illæ Disciplinæ pub. leges,
præmiâ & pœnæ, Bonos ad industriam in-
vitant, malos a nequitia deterrent. Quid al-
liud, crebra armorum exercitatio & honesta
corporis exercitia alia, multo motu instituta,
quam robur corpori, pectori audaciam, & in-
genio vigorem dant. Varia illa, quæ in Te ex-
coluntur studia, nonne tam nominis illustrent
famam, quam probissimos instillant Mores; ex
aggressibus efficiunt Nobiles; ex rudi animo-
rum materia, politissimam Morum omnisque
deco-

decoris Imaginem efformant. Etiam Artes
manibus perficiendæ, quæ, rerum ita jubente
statu, penitentim introducuntur, pestem illam
Reipub. lethalem, Otium expellunt. Fortunã
Tuam, quæ dum abundat, quævis vitia & quod-
vis malum Populo adferre solet, quoniam par-
tim Natura, partim Cura ad justam mediocri-
tatis lancem temperarunt, tutissimum etiam vi-
vendi genus nostris temporibus pollicentur.
Ita singulæ hæ recensitæ Causæ in Mores Sveco-
rum bonos sæviter conspirant; Una superest
tamen adhuc validissima, ipsa anima Reipubl.
Educatio scil. domestica, quæ si bona, ferrum
in aurum transmutabit; a bestia hominem red-
det; si prava, præciosissimam gemmam in la-
pidem vertens, animumq; hominis in belluæ for-
mam mutare valebit: hoc inquam sceptrum
domesticum, qua severitate, qua prudentia, in
quavis familia dirigatur, curiose perhibere, mei
non est instituti. Experientia tamen, commu-
nis ille rerum Præco, palam nunciat, Mores mul-
tos in abusum verti, quos prisca Svecorum Se-
veritas, Candor, & Parcimonia ad orbem usq;
condemnant. Quantum ad Causas Nat. vix
Natura, prænominatis Moribus objicit obi-
cem, quin propensionem potius aptitudinemq;
influxu suo valido alat, simulq; ea, quæ in lau-
dem decusq; hujus Nationis, multi Scriptorum
perhibent, veritatis sigillo confirmet; confer
etiam

etiam Mores hosce Natu. cum Finno-
rum in Thef. 5. exhibitorem & deprehendes confor-
mitatem inter illos, Climatibus illarum Gent.
a se longe nec discrepantibus.

THEſ. IX.

*Perverſum inveſtigandi Mores Modum con-
demnat.*

EX hac tam accurata omnium Cauſarum
combinatione æque ac collatione, in per-
fecta Morum indagine obſervanda, patet e-
orum partim imprudentia, partim quoq; mo-
rum pravitas, qui vel ex alterutra Cauſarum
classe; vel aliquibus Morum fontibus, negle-
ctis primariis; vel ab uno actu; vel in uno tan-
dem homine, perfectos alicujus Gentis Mores
erunt: unde nec miremur, ſi in pravum pri-
mo injuſtumq; judicium, inde in ignominia de-
riſionisq; ſentinam turpiter ruant. Hoc mo-
do, qui Temperamentum, Clima, Solum &c.
dicunt ingenia ſtupida, crassa, animos moroſos,
incomptos, aggreſtes, & ad quævis laudabilia
ineptos, in Incolis, Septentrioni extremæ proxi-
mis promiſcuè producere, nullo intuitu ad E-
ducationē domeſt. Institutionem pub. & Studia
&c. facta, quis illum a recta in Mores inquiren-
di methodo, totum deviare non videat? Et Na-
turam cur facis novercam alicui Populo, ex-
tremèq; inimicam: quaſi in moratiſſima Gen-
te, nullum Originis humanæ Exemplum exiſtat.

In me.

in medium colloca ex Gente, quam ingeniosissimá & absolute moratam totus salutat; Orbis, ingenia, tam educatione, quam stemmate longe diversissima, Bubultos puta & Aulicos, an non Mores eorum toto cœlo differunt? priorum sane barbaries, cum Regionis suæ acumẽ & Mores parum commendet, posteriorum benè Morata pectora vicissim, mirum ea illustrent. Quare hac in re aliter mihi persuasum habere nequeo, quam in ipsam Naturæ legem inplacabilem fieri injuriam, quicumq; tantam barbariem toti Regioni innatam adferere præterve audeat, ut ullum vel privatæ vel publicæ educationis ferrum queat illam ipsam, eruere, tollere, æquare. Ad *Existentiã* Morum in Populis cum respicimus, certum est, magnam in illis inveniri varietatem, ipsa loquente experientia, hanc Nationem ad omnium Morum, gestuum ac cultus amussim esse compositam; illam rursus minus: adeo ut apud Boreales, locum habere id quam aptissimè videatur, quod in Gallorum Moribus exponendis Cl. Puffendorf. infert, in *Introduct. Hist. C. 5. §. 25.* *Ellest är / säger han / then Frantzöske Nation och så qvick / wafande / lustig / och ell alla stycker skickeligh / och i sinnerheet vet vthwärttes saker mächta artig / så at Frantzoser wähl pryder / alt hwad som the wri kläder / år hånswor och andra stycken föreraga. Swilket när the andra*
Natio-

Nationer, NB. te står af Naturen til allvarsamhet
 födde äro/ efterherma willia/ thet esomofkast gan-
 fka löjliggen och narvachtige ja och förrettelige
 anstår; Hälst emedan ted en stor åhskillnad är
 at hafwa en ring af Naturen/ eller willia emoth
 des böijelse och art sig til wänfa. rom acu lane
 tetigit: illas tamen morum externorum in-
 eptias & horrendam in conversando de-
 formitatem, in quacunq;e inveniantur Gente,
 (quæ in omni ferme inexculto Populo a natura
 notabili tamen cum discrimine dantur) tales
 in sua *Naturali Inclinatione* esse duco, ut justa
 Cura, maturaq; Institutione adhibita, in gra-
 tam, reliquis bene moratis Ingeniis simi-
 lem pulchritudinem, verti feliciter queant: ut
 ingenua Socratis confessio stet immotæ certi-
 tudinis, adferens, *in omne vitium proclivem per
 inclinationem pravam futurum, fuisse, nisi di-
 sciplina ac institutione bona, illam emendas-
 set Ferasque domasset.* Ingenia etiam apud
 nos sic nata, beneque deinde educta edocta-
 que, singularem hominis bene morati speciem
 præbent. Et quid de laudabili nostra Scien-
 tiarum Officina dicam? quomodo illam de-
 prædicem? quot quæso illa Soboles in lucem
 formosissimas indies edit? quas ab ipsa Vir-
 tute & Sapientia conceptas vere dixeris: tem-
 pora quoq; futura meliora adhuc pollicentur.

QVOD FAXIT DEUS.

EPILOGUS

VOs autem amabo Sodales, vos inquam appello, maeste Virtute! in eo stadio Morum currere pergite, ubi Mores cum Ingenio simul, ad pulcherrimam tam honestatis quam Urbanitatis normam exacte formantur: Scientes curiosa hæc nostra tempora talem vitam, talesque Mores, undique comptos, postulare: Specimina invido Orbi, Vestra condigna origine, edite: ille labor, Virtuti credite, uberrimam decoris lætitiæq; messem, vobis dabit.

Laudabo Jesum Perpetuo!

